STATUTA

Synodi Brooklynensis Primae

QUÆ

QUARTO KALENDAS SEPTEMBRIS,

Anno e Virginis Partu MDCCCLXXIX.,


IN ECCLESIA DIVO JOANNI BAPTISTÆ DICATA
LATA SUNT,

QUÆQUE TULIT ATQUE SANCIVIT

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS

D. JOANNES LOUGHLIN

EPISCOPUS BROOKLYNENSIS.



NEO-EBORACI:
EX TYPIS H. J. HEWITT,
VIA ROSA, 27.

1880

✣PROŒMIUM✣

ARREPTA occasione qua nostrates presbyteri singulis annis convenire solent exercitiis spiritualibus vacandi causa, iisdemque jamjam felicissime persolutis, Rev. Gul. Wayrich, C.SS.R., Moderatore, primâ hujus diœceseos Synodus ab Illmo et Rev^{mo} D.D. Joanne Loughlin habita est.

Cum autem convocationem inter et Synodi inceptionem interstitium satis amplum intercessisset, omnes presto fuerunt et omnia parata.

Itaque, statuta hora nona, die 29 Augusti, Ill^{mus} Præsul totius ferme suæ diœcesis cleri corona stipatus, ecclesiam S. Joannis Baptistæ adiit missamque consuetam S^{ti} S^{tus} celebravit. Deinde præscriptis pro Synodo inchoanda ad amussim absolutis, clericorum coetum Synodum esse solemniter declaravit. Mox Synodi Officiales designavit et per Secretarium citatorum elenchon inclamari jussit. Absentes quotquot fuerunt vi præviæ licentiæ abesse inventi sunt. Postea professio fidei, cum recenti clausula de Infallibilitate R. P. rite suggesta, emissa fuit a Secretario, et mox ab omnibus singillatim cum juramento in manibus Episcopi, alacriter accepta atque confirmata fuit.

His omnibus rite fuseque persolutis, perventum tandem

est ad declarationem statutorum prouti jam in antecessum ab ipso Rev^mo^ Episcopo parata fuerant. His perlectis, Ill^mus^ Præsul cunctos admonuit unicuique fas jusque competere in medium proferrendi quidquid de propositis ipsi videretur. Et ne reverentia aut pudor oris dotem vel timidissimo adimeret, indicta altera sessione tertia hora pomeridiana habenda, Rev^mus^ Episcopus Synodo et ecclesia excessit.

Tempore præstituto omnes denuo in ecclesiam convenerunt. Mox Rev^mus^ Episcopus orationem sapientia, gravitate et charitate vere paterna plenam habuit. Nonnulla quæ per R. R. Procuratores a clero proposita erant perpensa, enodata atque ut omnibus erat in votis disposita atque dirempta sunt.

Omnibus ad hunc modum tam auspicate absolutis Rev^mus^ Præsul sibimetipsi totique clero gratulatus est de felici exitu Synodi necnon de alacritate, concordia et unanimitate quibus omnia tam cito et fauste ad finem usque perducta fuerant.

Tandem, decantato hymno Ambrosiano, Rev^mus^ D. Episcopus omnibus benedixit et peramanter valedixit.

✠ADMONITIO✠

UNIVERSUM ferme statutorum corpus quod hîc traditur depromptum est e libello constitutionum edito a Synodo diœcesana tertia Neo-Eboraci habita an. 1868. Nec mirum sane quando in mentem revocatur hanc et Neo-Eboracensem unam tantum diœcesim olim effecisse, et adeo finitimas et conjunctas esse ambarum sedium primarias urbes situ, negotiatione, consuetudinibus ac studiis, ut inter ipsas communia fere sint omnia, proindeque communes æque ut sint decet et ipsæ leges ecclesiasticæ. Et revera hactenus ita se res habuit ; et quam felicissime, sæculi jam quarta pars plane comprobavit. Neminem porro latet quod plurima incommoda certo certius orientur ex duobus valde dissimilibus legum ecclesiasticarum codicibus in duabus civitatibus quæ vix quidem, vel solùm amne, disterminantur. Quapropter hisce omnibus permoti, et præ mentibus habentes Gavanti monitum de non multiplicandis decretis, melius duximus quieta non movere, raro stylum vertere, et, quoad potuimus, nonnisi perparce admodum nova inducere.

OFFICIALES SYNODI

PROCURATORES CLERI,	Rev. Gulielmus Keegan. " Joan. M. Kiely.
JUDICES EXCUSATIONUM,	Rev. Henricus O'Loughlin. " Michael Riordan. " Thomas Taaffe.

SECRETARIUS—Rev. Jos. P. O'Connell, S.T.D.

CONFESSARII CLERI,	Rev. Gulielmus Wayrich, C.SS.R. " Joannes McKenna.
MAGISTRI CÆREMONIARUM,	Rev. Patricius F. O'Hare. " Jacobus Mitchell.

+SYNODALES+

(Asteriscus denotat absentes.)

Admodum Rev. Michael May, V.G.

Rev. Ammann, Joannes.
" Arnold, Antonius.
" Balleis, Nicolaus.
" Baxter, Joannes.
" Blake, Franciscus J.
" Bobier, Jacobus.
" Boyce, Reccaredus.
" Boylan, Michael S.
" Brennan, Mortimer.
" Brosnan, Jeremias.
" Carroll, Martinus.
" Connolly, Gulielmus.
" Corcoran, Eduardus.
" Coughlin, Josephus.
" Creighton, Patricius.
" Crimmin, Joannes.*
" Crowley, Jeremias.
" Curtin, Cornelius J.
" Dauffenbach, Petrus.
" Denison, Michael.
" Doherty, Jacobus J.
" Donnelly, Eugenius.
" Doran, Nicolaus.

Rev. Doud, Michael.
" Dougherty, Gulielmus.
" Duffy, Jacobus S.
" Dullea, Eduardus W.
" Eisele, Cyprianus.
" Farley, Antonius, Sr.
" Farley, Antonius, Jr.
" Farrelly, Mathias J.
" Farrelly, Carolus.
" Feser, Josephus.
" Foley, Reccaredus S.
" Fransioli, Josephus.
" Freel, Franciscus J., S.T.D.
" Fuchs, Laurentius.
" Gallagher, Carolus.
" Gallagher, Henricus.
" Galvin, Mauritius.
" Gerrin, Laurentius.
" Giles, Gulielmus.
" Goodwin, Michael.
" Growney, Joannes.
" Guhl, Gulielmus.
" Guicheteau, Franciscus, S.P.M.
" Hand, Hugo.
" Hanselmann, Jacobus.
" Hanselmann, Joannes M.*
" Hatton, M. J.
" Hauber, Josephus.
" Hauptman, Joannes.
" Heffernan, Joannes J.
" Hickey, David.
" Hickey, Mauritius.
" Hickie, Michael J.

Rev. Hill, Gulielmus J.
" Hoffmann, Joannes.
" Hogan, Joannes.
" Huber, Josephus.
" Jollon, Julius.
' Kearney, Petrus.
" Keegan, Gulielmus.
" Kiely, Joannes M.
Killahy, Michael.
" Kilpatrick, Josephus.
Kinney, Philippus.
' Lane, Gulielmus J.
" Loughran, Joannes, S.T.D.
" Maguire, Gulielmus.
" Maguire, Joannes.
' Maguire, Petrus.
" Maguire, Robertus J.
" Mallon, Joannes J.
" Malone, Michael J.
' Malone, Silvester.
" Marrin, Joannes J.
" Melia, Jacobus.
" Michel, Matthæus.
" Mitchell, Jacobus.
" Moloney, Joannes A., C.M.
" Moran, Michael J.
" Müller, Casparus.
" Mulligan, Patricius.
" Murphy, Michael.
" Murray, Michael J.
" McCabe, Eduardus.
" McCarthy, Florentius.
" McCarty, Eduardus.

Rev. McCloskey, Joannes M.
" McCullum, Joannes.
" McCusker, Jacobus J.
" McElhinney, Joannes.
" McEnroe, Jacobus.
" McGinnis, Gulielmus.
" McGivern, Thomas.
" McGlinchey, Patricius J.
" McHugh, Bernardus.
" McKenna, Joannes.
" McKiverkin, Jacobus.
" McMeel, Jacobus.*
" McNamara, Patricius J., S.T.B.*
" McNamee, Josephus.
" Nash, Joannes.
" Nevin, Michael.
" Niedzielski, Josephus.
" Niemann, Augustinus M.*
" O'Beirne, Jacobus.
" O'Brien, Eugenius.
" O'Callaghan, Felix.
" O'Connell, Andreas.
" O'Connell, Josephus P., S.T.D.
" O'Donohue, Joannes.
" O'Hare, Patricius F.
" O'Loughlin, Henricus.
" O'Mallon, Patricius F.
" O'Reilly, Eduardus.
" O'Reilly, Joannes.*
" Peine, Chrysostomus.*
" Phelan, Jacobus.
" Plunkett, Bernardus.
" Porcile, Henricus, S.P.M.

Rev. Raber, Joannes J.
" Reilly, Thomas S.
" Riordan, Michael.
" Schaffer, Leandrus.
" Schmeltz, Fridericus.
" Schwarz, Petrus.
" Sheehy, Daniel J.
" Sheridan, Patricius F.
" Smith, Eduardus.
" Taaffe, Jacobus.
" Taaffe, Thomas.
" Tanzer, Joannes.
" Tivenan, Dionysius.
" Toner, Laurentius.
" Walsh, Patricius A.
" Ward, Hugo.*
" Ward, Thomas.
" Wightman, Carolus.*
" Wilmann, Joannes B.
" Woods, Jacobus.
" Zeller, Ignatius.
" Zimmer, Henricus.
" Zimmer, Henricus J.

STATUTA.

DE SYNODORUM BALTIMORENSIUM ET NEO-EBORACENSIUM PROMULGATIONE.

CAPUT UNICUM.

DECRETA Concilii Plenarii Baltimorensis II. a Sancta Sede jam sancita, necnon quæ in tribus Conciliis Provincialibus Neo-Eboracensibus lata sunt promulgamus, et ab omnibus in Nostra Diœcesi, ad quos pertinent, servanda jubemus. Ne vero facilius in oblivionem veniant, enixe hortamur Sacerdotes omnes quibus animarum cura incumbit ut eorum exemplar apud se habeant, quod semel in anno una cum hujus Synodi Diœcesanæ constitutionibus diligenter perlegant.

DE SACRAMENTIS.

CUM instituta a benignissimo Salvatore Nostro Sacramenta sint totidem fontes aquæ salientis in vitam æternam, tenentur Pastores illa, non rite solum et debita cum reverentia tractare, sed et fideles ea sedulo docere quæ ad eadem dignius et uberiori cum fructu recipienda requiruntur.

CAPUT PRIMUM.

DE BAPTISMO.

Quoniam Baptismi Sacramentum ex Christi Domini verbis, "*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,*" omnino est ad salutem necessarium, jure omnium primum atque aliorum Sacramentorum veluti janua habendum est. Patet exinde quam maximam in eo conferendo requiri diligentiam, nec unquam sine culpa non adhiberi, quæ ipsi debetur, reverentiam. Ut igitur quæ par est observantia adhibeatur, atque abusus, si qui irrepserint in Baptismi administratione, facilius e medio tollantur, ea quæ sequuntur servanda decernimus :

I. In unaquaque ecclesia, ubi Baptismi Sacramentum ordinarie ministratur, Fons Baptismalis clavi obseratus, si nondum existat, quamprimum habeatur : prope quem omnia quæ ad hujus Sacramenti ministrationem pertinent, nitide serventur.

II. Patrinus in Baptismo Solemni unus saltem, sive vir, sive mulier, adhiberi debet. Ad hoc autem munus, ex Ritualis etiam præscripto, admittendi non sunt infideles, aut hæretici, aut publice criminosi, aut qui fidei rudimenta ignorant.

III. Sacerdotibus sedulo curandum est ne unquam extra ecclesiam hoc Sacramentum conferatur præter mortis imminentis casum, præsertim in urbibus ecclesiam unam aut plures habentibus. Rure autem et in oppidulis ubi parvuli, ob trium vel quatuor millia passuum ab ecclesia distantiam, vel ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, aliasve graves causas, ad ecclesiam afferri nequeunt, domi cum omnibus consuetis cæremoniis baptizentur.

IV. Cum Baptismus privatus ob mortis periculum domi conferendus est, Sacerdos stola alba indutus, omissis ante Baptismum dici vel peragi solitis, catechumenum statim trina, vel etiam una aquæ infusione rite baptizet. Postea vero, si tempus suppetat, et ad manum Chrisma habeatur, liniat eum in vertice, linteolum candidum imponat, candelamque accensam ei porrigat. In supplendis autem ritibus omissis, ille Baptismi ordo servetur erga parvulos aut adultos qui pro catechumenis servandus est.

V. In neo-conversis ad Ecclesiam excipiendis volumus ut ea omnia serventur quæ in instructione et forma a Sacra Congregatione S. Officii, die 20 Julii an. 1859, tradita reperiuntur, quæque referuntur in appendicem Conc. Plen. Balt. II. pag. 291.

VI. Omnibus ceterum et singulis hujus Diœceseos Missionariis præcipimus ut diligenter observare studeant monita quæ præmittuntur ordini Baptismatis in Ritualis Romani compendio, auctoritate novissimi Concilii Provincialis in lucem nuper edito et approbatione S[i] D[i] N. Gregorii XVI. insignito, perinde ac si monita prædicta essent ipsius hujusce Diœceseos statuta. Unum tamen ex illis arbitramur excipiendum quo dicitur ut Sacerdos "*accedat ad limen ecclesiæ ubi foris expectant qui infantem detulerunt*" *:* hoc enim, etsi a Nobis commendetur sicubi commode fieri possit, non tamen stricte exequendum præcipitur.

VII. Rituale Romanum Sacerdotes Sacramentorum ministros monet ne veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum utantur; sed sacrum chrisma et sanctum oleum, quod et catechumenorum dicitur quorum usus est in Baptismo, necnon et sacrum oleum infirmorum, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta in Fe-

ria V. in Cœna Domini. Non licebit proinde semel elapsis diebus quinque a Feria V. in Cœna Domini cujusque anni, chrismate vel oleis uti quæ præcedenti anno benedicta fuerint. Curet imo Pastor unusquisque ut, si fieri possit, Sabbato sancto cujusque anni ad Fontem Baptismalem benedicendum novis oleis non careat.

VIII. "Ubicumque ecclesia erecta est in Germanorum usum, licebit eis rectorem ejus arcessere, vel eum adire, ad Sacramenta quæcumque suscipienda. Quod si alteruter ex parentibus infantis Germanus non sit, optio erit vel ad ecclesiam parochialem, vel ad Germanicam ecclesiam, infantem baptizandum deferre. Quando autem uterque parens est gente Germanus, rector Germanus necessario erit adeundus ad Sacramentum Baptismi suscipiendum : quod Sacramentum nequaquam administrandum est a Germanico Sacerdote, si neuter ex parentibus sit Germanus" (*Syn. Diœc. Balt. an.* 1853).

CAPUT SECUNDUM.

DE CONFIRMATIONE.

Si transituris ex hoc mundo statim a suscepto Baptismate sufficiant regenerationis beneficia, victuris inter adeo multos innocentiæ fideique hostes necessaria sunt insuper Confirmationis auxilia. Grave igitur peccatum est illis præsertim Christianis quibus est "colluctatio adversus mundi principes tenebrarum harum," si ultro non accipiant "armaturam Dei ut possint resistere in die malo." Per Spiritum siquidem Sanctum, qui jam renatis

fonte Baptismatis in hoc altero Ecclesiæ Sacramento datur, pretiosa gratiæ sanctificantis et adoptionis filiorum Dei dona roborantur, augentur et inviolabili quasi sigillo obsignantur, quo possimus "in omnibus perfecti stare." Nobis porro circa Chrismatis collationem visum est sequentia statuere :

I. Decreto Concilii Plen. Baltim. II. inhærentes, valde optamus ut in Sacramento Confirmationis recipiendo, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem et disciplinam, Patrini et Matrinæ adhibeantur. Confirmandi igitur habeant Patrinos, singuli singulos ; nec tamen feminis mares, nec maribus feminæ hoc munus præstabunt. Quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris Patrini et duæ pro puellis Matrinæ adhibeantur.

II. Non admittantur ad Confirmationem nisi qui annum ætatis undecimum attigerint, et ad primam communionem aut jam accesserint aut proxime sint accessuri.

III. Liber Confirmatorum in ecclesiis in quibus confertur Chrisma, juxta Ritualis Romani præscriptum, habeatur, in quo nomina eorum qui hoc Sacramento sunt obsignati describantur haud minori cura quam quæ solet ac debet in libro Baptizatorum conficiendo adhiberi.

CAPUT TERTIUM.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

Cum nihil, sive in terris, sive in cœlis sanctius mirabiliusve existat aut excogitari possit quam Sacrosanctum Eucharistiæ Sacrificium et Sacramentum, quod Christus

Dominus et Salvator noster sui erga nos amoris pignus omnino divinum reliquit, cultus profecto ac reverentia atque honor omnis huic mysterio exhibendus ab ejusdem potissimum ministris ac dispensatoribus, neque mentibus omnium hærere nimium, neque verbis satis amplis commendari possunt. Curandum est igitur summopere ut sincera atque vera erga Christum Jesum in Eucharistia præsentem devotio et in nobismetipsis magis ac magis in dies crescat, atque latius simul altiusque in fidelium ipsorum cordibus suas agat radices. Nulla autem potior, atque adeo efficacior, id præstabit ratio quam si religionem ac piam omnem sollicitudinem collocemus in observandis accurate monitis ac documentis tum Missalis, tum ipsius Ritualis, quæ ad ipsum hoc altaris Sacrificium atque Sacramentum pertinent.

I. Præcipimus idcirco ut nihil omittatur eorum quæ super his in Rituali vel Missali peragenda præscribuntur, ubi non obstant rerum aut locorum in quibus adhuc versamur circumstantiæ. Prohibemus, sub pœna suspensionis, ne quis sine veste talari Missam celebret, nisi inopinata omnino urgeat necessitas. Prohibemus insuper, sub eadem pœna, ne Sanctissima Eucharistia alio modo quam in bursa decenter ornata, ad collum appensa atque occulta super pectus innixa, ad ægrotantes deferatur. Linteamina quæ vel in eo casu requiruntur, parvum scilicet corporale ac purificatorium, alba sint et munda. Prohibemus denique, sub eadem pœna, ne Venerabile Sacramentum in ullo loco privato servetur, nisi forte in ecclesia tuto custodiri nequeat, aut longius hæc a domo Pastoris distet. Hoc autem in casu, corporali linteo et mundo impositum, clavi ab ipso Sacerdote custodienda, obseretur. Cum vero in ecclesia servatur, omnia quæ in Rituali præscribuntur exequenda præcipimus.

II. Meminerint igitur Sacerdotes sibi non licere Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere, aut secum deferre, nisi urgente necessitate, quæ si occurrat, sedulo ipsis curandum est ut maxima se gerant reverentia, et ab inani quovis abstineant colloquio. Hostia vero sacra si quæ supersit ipsis ab ægrotantium domo redeuntibus, ad ecclesiam quamprimum accedant, atque statim illam in ciborio reponant.

III. In omnibus porro ecclesiis, in quibus Sacrosancta Eucharistia solet in tabernaculo asservari, lampas, vel cereus, diu noctuque, juxta Ritualis monitum præ altari luceat.

IV. In omnibus itidem ecclesiis in quibus Missa solet quavis Dominica celebrari, præter indumenta quorum est usus in Missæ celebratione, præsto sint etiam Pluviale, Velum, Ostensorium et Thuribulum, verbo, quidquid ad decoram ac solemnem Sanctissimi Sacramenti Benedictionem requiritur.

CAPUT QUARTUM.

DE PŒNITENTIA.

Quæ summa Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi benignitas est et misericordia erga peccatores, ut vel iis prospiceret qui Baptismo regenerati mortem iterum animæ sua culpa obeunt, vitæ remedium instituit, Pœnitentiæ Sacramentum. Quare intelligant Sacerdotes hujus Sacramenti ministri, se Christi vices agere, et quasi legatione pro Deo fungi, quibus "*datum est ministerium reconciliationis.*" Nos autem officii munerisque nostri memores, atque Conciliorum decretis inhærentes, ut potestas a

Christo Domino Ecclesiæ commissa suum effectum ad Dei gloriam et animarum salutem tutius atque uberius sortiatur, ea quæ sequuntur observari volumus :

I. Monemus Pastores ut paratos semper se exhibeant ad excipiendas fidelium confessiones, præsertim tamen feria sexta, Sabbato et dierum Festorum vigiliis.

II. Præcipimus, *sub gravi*, ut ea quæ in Synodo prima Neo-Eboracensi decreta fuerunt de Confessionalibus in ecclesiis, loco patenti et publico erigendis, extra quæ nullatenus mulierum et puellarum, præter quam ægrotarum, surdarum, ætate decrepitarum, vel aliunde ab adeunda ecclesia impeditarum, confessiones liceat excipere, ad amussim observentur. In Missionibus autem et in privatis domibus in quibus, ubi desunt ecclesiæ, confessiones audiuntur, in loco patenti excipiantur, et crates perforatæ, quantum fieri potest, adhibeantur.

III. Præcipimus omnibus et singulis Sacerdotibus quibus audiendi Confessiones potestatem jam concessimus, vel in posterum concedemus ut, tum in sede confessionali, tum etiam, ubi commode fieri potest, aliis in locis, veste talari induti cum superpelliceo et stola, sacrum hoc munus obeant, juxta monita Ordini ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ in Rituali annexa, quæ quidem ab omnibus, haud secus ac si hujus Diœcesis statuta forent, observari mandamus.

CAPUT QUINTUM.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Christianis periculose ægrotantibus sapientissimus atque amantissimus Salvator noster sollicite subveniens

sacrum instituit Extremæ Unctionis Ritum, quo delicta, si quæ sint adhuc expianda, et peccati reliquiæ absterguntur, simul atque gratia confertur ad insidias dæmonis propulsandas, mortis terrores depellandos, morbi incommoda fortiter toleranda, imo vel ipsam corporis sanitatem restituendam, ubi forte magis hæc animæ saluti profutura est.

I. Pastores igitur quique subditos suos graviter ægrotos invisant et amanter hortentur ut ne susceptionem Extremæ Unctionis deferant et procrastinent, sed potius hanc sibi administrari studiose petant, dum sui plene compotes fructum ejusdem longe uberiorem sunt percepturi.

II. Si forte Sacerdoti ægrotos invisenti contigerit dare consilium de rerum temporalium disponendarum ratione, religione quam maxima caveat non tantum a reatu, sed vel ab ipsa omni avaritiæ specie ac suspicione. Onus autem ipsum sive describendi, sive exequendi testamentum constanter recuset, neque unquam, nisi gravissima de causa, puellarum tutelam in se suscipere consentiat.

CAPUT SEXTUM.

DE MATRIMONIO.

Ipsum Christianorum Matrimonium pro altitudine divitiarum sapientiæ suæ voluit Redemptor Noster beneficentissimus inter Sacramenta Novæ Legis connumerari, ut viri et mulieris conjunctio sanctiori et ideo indissolubiliori vinculo firmata, animorum pia consentione, morum intemerata puritate, prolisque susceptæ religiosa institu-

tione ac disciplina, Ecclesiæ Societatique ipsi civili cederet in honorem, beneficium ac pacem. Ne autem Sanctitas Matrimonii, quod a B. Paulo "*Sacramentum magnum . . . in Christo et in Ecclesia*" declaratum novimus, unquam apud nos obscuretur aut minoris fiat, ea quæ sequuntur monita sive decreta serio animadvertant ac fideliter observent Pastores omnino volumus :

I. Monemus Sacerdotes ut, officii sui memores, instantius solliciti sint rite disponere fideles qui Matrimonio jungi volunt. Ne igitur permittant Catholicos inire Matrimonium, nisi prius Pœnitentiæ Sacramentum receperint ; peccato siquidem immunes haberi Sacerdotes nequeunt, si temere manifeste indignos jungant.

II. Quo debitæ illi preparationi melius prospiciatur, servari præcipimus quæ de bannorum proclamatione statuta sunt in Concilio Plen. Baltim. II. num. 331, 332.

III. "Proclamationes faciendæ erunt in ecclesia parochiali utriusque sponsi, haud habita ratione ecclesiæ in qua scamna habent. Matrimonium celebrari poterit a parocho alterutrius, dummodo celebretur intra parochiæ suæ limites" (*Syn. Diœc. Balt. an.* 1853). Attamen notandum est quod si aliquando eveniat sponsos velle Matrimonium contrahere in parœcia in qua non degunt, sed in cujus ecclesia scamna habent, in hoc casu, rector qui proclamationes fecerit de iisdem Sacerdotem Matrimonio astiturum scripto certiorabit.

Pastoribus insuper præcipimus ut de bannorum proclamationibus, numero ac temporibus rationem ineant et sedulo, debito loco, scriptis exhibeant.

IV. "In oblationibus quæ ex veteri et recepto usu fieri solent occasione administrationis quorumdam Sacramentorum, caveant parochi ne quid fiat quod simoniam aut avaritiam sapiat. Sacramenta vero nunquam denegentur


eo sub prætextu quod oblationes istæ non tribuantur. Si ergo quis Sacerdos, cujus erit Matrimonio assistere, adeo fuerit sui sancti officii immemor ut recuset Matrimonium celebrare, nisi obtenta prius aut saltem pacta certa quadam pecuniæ summa, suspensionem ipso facto incurrat" (*Syn. Plen. Hiber. an.* 1875).

V. In civitatibus et oppidis, ubicumque Missa singulis Dominicis celebratur, debent denuntiationes tribus continuis diebus festivis in ecclesia fieri, antequam Matrimonium contrahatur. Pastoribus tamen in prædictis locis facultatem tribuimus ut ab una ex tribus proclamationibus dispensare valeant, nequaquam vero ut a duabus vel tribus dispensare unquam præsumant. Rure vero, atque in locis ubi sacrum rarius celebrari consuevit, erunt illæ in lege exceptiones quas Pastor quisque speciatim obtinuerit.

VI. Matrimonia, quoad fieri potest, non solum in ecclesia contrahi, verum etiam intra Missarum solemnia, benedici volumus.

VII. Quod decreto Concilii Neo-Ebor. III. jam vetitum est stricte denuo prohibemus, ne Catholici ulli versantes intra hujus Diœcesis limites, sive illorum pars utraque, sive una tantum catholica sit, Matrimonium coram ministro hæretico inire attentent: qui autem id ausi fortasse fuerint, sciant se reservatam nobis excommunicationem incurrere.

VIII. Quinimo Sacerdotibus omnibus præcipimus ut populum sibi commissum admoneant tum de legibus Ecclesiæ circa Matrimonia mixta, tum de gravi damno quod temporali haud secus ac æternæ felicitati imminet, si per reliquum vitæ suæ curriculum societatem ineant, cui nec commune quidquam in fide qua sola se salvandos sperant, nec consortio ulla jam habetur in Sacris et Offi-



ciis pietatis illis quæ præcipuum in adversis solamen ac præsidium sufficiunt. Profecto si fidelium mentes subiret fieri olim posse ut liberi sui extra veram Ecclesiam instituendi tradantur, vel hac sola cogitatione perterriti, dum adhuc tempus superest, ad meliora consilia non pauci reverterentur.

IX. Quandoquidem tot et tanta sunt mala quæ ex Matrimoniis mixtis profluunt, mirum nemini erit si, a priscis etiam temporibus, Ecclesia severiores adversus illa leges tulerit. Mitius quidem agendum, et aliqua ex parte toleranda in his regionibus prædicta connubia satius existimavit: sed pro suo Domus Dei atque animarum zelo, caute simul ac strenue semper laboravit pia mater, ut filiorum saluti pro viribus consuleret. Hæc igitur ipsissimis verbis Synodi Neo-Ebor. I. anno 1842 habitæ, proponimus atque decernimus exequenda :

1. Nullus unquam Sacerdos Matrimoniis eorum qui vel jam ad ministrum aliquem heterodoxum se contulerint sociandos, vel quos id postmodum facturos fore verisimiliter existimat, operam suam qualemcumque præstabit.

2. Ubi impedimento Disparitatis Cultus nuptiæ infaustæ præpediuntur, dispensatio singulis vicibus ab Episcopo impetranda est.

3. Nec tamen, sublato hoc impedimento, vel etiamsi non occurrerit, Sacerdoti fas erit Matrimoniis hujusmodi adesse, nisi prius pars acatholica tum plenissimam partis catholicæ libertatem circa conscientiam et religionis suæ exercitium, tum piam prolis in fide catholica institutionem polliceatur ; haud tamen intra ecclesiam, aut adhibito ritu aliquo sacro, aut sacra veste indutus Sacerdos adstans nuptias prædictas cohonestabit.

X. Non defuerunt ex perditissimis hominibus qui, dum

prioris Matrimonii vinculo adhuc tenerentur adstricti, secundas nuptias inire fraudulenter aggrederentur. Reperiuntur insuper quorum animis insedit opinio posse per legis civilis auctoritatem penitus abrumpi Matrimonii vinculum ; contingere etiam potest ut de prioris conjugis morte dubium oriatur. Ne igitur sceleris ullius particeps quomodocumque Sacerdos fieri possit, Pastori cuique injungimus, ut Matrimonium celebrare tamdiu detractet quamdiu superfuerit legitima suspicio justusve dubitandi locus. Ubi autem medium nullum occurrit quo dubium ipse dissolvere speret, omnino sui ducat officii, pro hujusmodi causæ gravitate, non nisi ex consilio atque sententia ipsa Nostra, rem totam dirimere ac terminare.

XI. In locis ubi habetur ecclesia in Germanorum usum, eadem regula servanda erit in Matrimoniis ac in Baptismis : "Si alteruter ex contrahentibus Germanus non sit, optio erit vel ecclesiam parochialem, vel Germanicam ecclesiam adire, factis tamen in ecclesia utraque proclamationibus. Quando autem uterque est gente Germanus, rector Germanicus necessario erit adeundus. . . . Si neuter ex sponsis sit Germanus, Matrimonium nequaquam contrahendum est coram Germanico Sacerdote" (*Syn. Balt. l. c.*)

DE CULTU DIVINO.

AD rectam Sacramentorum administrationem ac susceptionem maxime ac proxime spectant quæ ab Ecclesia ordinantur Cæremoniæ sacrive Ritus. Omnes igitur, quibus de animabus aliqua cura est, Ritibus et Cæremoniis illis religiose servandis curam et sollicitudinem impendere, imo et eorumdem rationem populum edocere, data occasione, non prætermittant.

CAPUT PRIMUM.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

I. Ad Missæ Sacrificium quod attinet, operam suam Pastores in eo collocent ut ornatu qui decet, et modo quo fieri potest solemniori, cuncta deinceps peragantur. Sacerdoti sane nulli munus officiumque suum cordi esse possunt, quin et altare nitidum, et linteamina munda, et vestimenta decora, et supellex sacra tota, sin minus lautior ac splendidior, munditia saltem atque ordine conspicua visentibus omnibus placeant. Hæc igitur, nisi partibus suis deesse velit, parvi faciet nemo, negligere nemo poterit.

II. Ex decreto S. R. C. die 23 Julii, 1868, "Sacerdos potest in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, Sacram Communionem fidelibus ministrare, etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pixidem de tabernaculo." Potest item in paramentis nigris ministrare Communionem immediate post Missam defunctorum, data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam : in utroque tamen casu omittenda est benedictio.

III. Cum in iis quæ ad Missarum celebrationem spectant, Episcopi, ex Tridentino decreto, tanquam Sedis Apostolicæ delegati agant, prohibemus ne quævis nostræ Diœcesis ecclesia, in die Natali D. N. J. C., fidelibus ad officia divina accedentibus ante quartam horam a media nocte aperiatur.

IV. Præterea præ mentibus habentes verba S. Pauli (II. ad Tim. iv. 2) et admonitionem a PP. Tridentinis datam (Sess. v. c. ii. de Ref.), tanquam abusum reprobamus consuetudinem alicubi inductam prætermittendi sci-

licet, æstivis caloribus perdurantibus, omnem verbi Dei prædicationem. Quapropter enixe adhortamur Sacerdotes ut, singulis saltem Dominicis et festis solemnibus, omni quæ decet solertia, industria ac diuturnitate greges sibi commissas jugiter salutaribus pascant verbis.

V. Festis autem diebus, etiamsi non possent plerique fideles ad ecclesiam confluere, tenentur Pastores, hora solita, rituque solemni consueto, quantum ejus fieri poterit, ut ipsa Dominica die, Missam celebrare.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRECIBUS QUADRAGINTA HORARUM.

Maxime in votis habemus ut solemnis devotio precum Quadraginta Horarum in hanc nostram Diœcesim, quatenus commode et debita erga Sanctissimum reverentia fieri poterit, introducatur, magis magisque in dies diffundatur, et ubique tandem foveatur et vigeat. Indulsit porro benigne Summus Pontifex ut, in peragendo pio hoc exercitio, forma eadem adhibeatur qua Diœcesis Baltimorensis ex Apostolicæ Sedis concessione jam utitur.

CAPUT TERTIUM.

DE FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

Pro singulari quam usque reposuimus fiducia in Piissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ Dei Genitricis intercessione ac ope, id magnopere nobis erat in votis, quod postulatis Patrum Concilii Plen. Baltim. II. annuens Sanc-

tissimus D. N. Pius Papa IX. decreto dato Romæ, die 24 Januarii, 1868, benigne concessit, ut omni Diœcesis nostræ clero ac populo Christiano fas esset annuntiare, atque imo injungere, quemadmodum annuntiamus ac pro munere etiam nostro injungimus, scilicet Festum Patronale B. Mariæ Virginis, sine labe Conceptæ, tanquam "Festum de Præcepto in posterum esse servandum, ipsa die viii. Decembris." Non possumus enim quin omnes fidei sollicitudinique nostræ creditos, atque animarum præsertim Pastores enixe hortemur ut spem suam omnem post Christum collocent in Virgine Maria, quæ cunctas hæreses sola interemit in universo mundo, quæque profecto suis in hac haud minima Ecclesiæ Catholicæ parte fideliter laborantibus famulis dare, in dies ampliare, ac continuo prosperare virtutem, contra suos Filiique sui hostes omnes, pie deprecata non despiciet.

DE PASTORIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE REGIMINE ECCLESIARUM.

I. Cum repugnet Ecclesiæ Universalis legibus et consuetudini, bonoque animarum regimini sit obnoxium, pluribus simul *ex æquo* competere potestatem pastoralem ecclesiam unam regendi, decretis quæ in Conciliis Prov. Baltim. lata, et in Concilio Plen. Baltim. II. firmata sunt, inhærentes, declaramus ecclesiæ cujusque seu congregationis administrationem soli Pastori a Nobis designato competere, nec licet aliis Sacerdotibus, illi in ministerii adjutorium adjunctis, quicquam aggredi præter ipsius Pastoris voluntatem.

II. Prohibemus sub gravi ne Sacerdotum quisquam, absque proprii Pastoris consensu, aut Nostra ipsa venia, Pastorum aliorum subditos in Matrimonium conjungat, vel ad Baptismum admittat præterquam vitæ periclitantes. Oblationes autem consuetas, si quis forte vetitæ administrationis occasione receperit, easdem illi restituat cujus fuisset hæc Sacramenta ministrare.

Ad præcavendas omnes disceptationes atque difficultates hac in re perfacilis porro patet via, eamque omnibus, pro re nata, in posterum sequendam præcipimus : Si supra dictorum Sacramentorum petitores ministro ignoti sint, satius erit de ipsorum domicilio in antecessum sciscitari ; et si forte alienæ parœciæ subditi deprehendantur, statim debitæ ecclesiæ remittantur.

Habita tamen ratione consuetudinis jam invalescentis, ut iis, qui in ecclesia quavis scamna conducunt, Sacramenta omnia administrentur ab ejusdem ecclesiæ Sacerdotibus, si ex his aliquis requisitus fuerit, poterit hic eadem ministrare, etiamsi domicilium illi habeant extra limites Pastori alicui assignatos.

III. Quoniam gregi suo in memoriam non semel revocare, ac maximopere inculcare debent Pastores gravissimam illam qua tenentur omnes Christi fideles obligationem singulis Dominicis Festisque de præcepto Missam audiendi, præcipimus omnibus qui curam animarum habent, ut singulos jejunii dies et Festa de præcepto, Dominica præcedenti, fideliter populo annuntient.

IV. Meminerint nec sibi licere diebus prædictis a grege suo abesse, nisi causa prius Nobis cognita sit ac probata. Si vero quando contingat ex inopinato non suppetere tempus Nos consulendi ad Nosve rescribendi, rem certe totam Nobis subinde significabunt.

V. "Omnino prohibemus ne, ubi plures sunt in una

parochia coadjutores, ad infirmorum visitationem aliaque munia similia obeunda alternis tantum hebdomadis sese conferant, quasi, peractis suæ stationis diebus, reliquo tempore ab omni officio præstando, præsertim infirmorum cura, omnino immunes essent. Hac super re Pastorum conscientiam oneramus volumusque eos omni modo procurare, ut hæc consuetudo tam religioni quam Sacerdotibus ipsis nociva, ubi obtinet, omnino abrogetur" (*Syn. Novarc. an.* 1878).

VI. Pro ea quæ domum Dei decet sanctitudine Pastoribus etiam præcipimus, ut neminem, nisi publice criminosum seu scandalosum, e suggestu vel altaris loco notent, non præhabita Nostra licentia, atque ab imprecationibus et maledictis omnino abstineant. Vehementer etiam illos omnes monemus nunquam sibi licitum esse censuras auctoritate propria sive ferre, sive imo comminari. Quæ autem de vitiis insectandis habet Concilium Plen. Baltim. II. num. 140, ab hujus Diœcesis Sacerdotibus observari serio mandamus.

VII. Caveant Pastores ne Sacerdotem vagum quemquam, vel ignotum sibi ac extraneum, Missam celebrare, sive munus aliud quodvis clericale exercere permittant, absque expressa et speciali licentia Nostra. "Insuper prohibemus Sacerdotibus omnibus hujus Diœcesis, ne sine venia Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis, eaque scripto concessa, ad Missam etiam semel celebrandam admittant Sacerdotem quemlibet, qui huc advenit collectas instituturus" (*Syn. Diœc. Novar. l. c.*) Indulgemus tamen, ubi deest omnino facultatis illius a Nobis expetendæ commoda occasio, ut Sacerdotes ex aliis harumce Provinciarum vel Canadæ diœcesibus iter agentes, Sacrum peragere aut prædicare, de Pastoris consensu, valeant, dummodo bonis moribus atque in alia sua diœcesi

facultatibus præditi cognoscantur. Veniam hanc autem nemini, qui fuerit olim ex hac Diœcesi dimissus, vel a quo facultates ipsi abstulerimus, volumus suffragari.

VIII. Iis quæ de eleemosynis colligendis PP. Balt. (Tit. iii. § 119) statuerunt insuper addendum haud incassum censemus nempe quod cum Episcopi sit et penes ipsum tantum, judicium ferre de collectarum hujusmodi faciendarum opportunitate, nemini Sacerdotum licebit eas vel in propria ecclesia instituere in gratiam rerum vel personarum a Nostra diœcesi alienarum, nisi prius a Nobis veniam expresse obtinuerit.

CAPUT SECUNDUM.

DE SEPULTURIS.

I. Quando non adeo distat ecclesia, licitum non est in ædibus privatis exequias celebrare, vel aliam unquam linguam in his adhibere quam quæ Ecclesiæ usu venit. Hortamur insuper omnes ut deponant morem habendi orationes, quas dicunt funebres; sed si visum fuerit adstantes alloqui, nihil in medium afferant quod ad pietatem fovendam et Ecclesiæ mentem in sacris exequiarum Ritibus illustrandam non apprime conferat.

CAPUT TERTIUM.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

I. Vetant Ecclesiæ Catholicæ canones ne temere et absque Ordinarii auctoritate templum novum ullum ex-

truatur. Nemini igitur fas esse declaramus, sive de nova ecclesia ædificanda, sive de amplificandis, addita exædificatione, jam extantibus ecclesiis, quidquam statuere aut moliri, Nobis insciis et inconsultis.

II. Pastores serio monemus ne debita quibus graventur ecclesiæ sibi commissæ temere contrahant : nedum pro virili ipsis allaborandum est, ut jam contracta sensim solvantur.

III. "Sub pœna peccati prohibemus ne ullus in hac Diœcesi Pastor suam ecclesiam ære alieno gravari permittat, nisi prius ad hoc Nostram veniam scripto obtinuerit. Nulli Pastori vel ædituo licet, ecclesiæ nomine, perscriptionem ærariam (*Note*) dare, sine consensu Nostro in scriptis dato. Stricte prohibemus ne Pastor pecuniam in sui vel ecclesiæ usum a fidelibus mutuam vel in custodiam accipiat (*Deposit*), cum periculum sit, ne ære alieno obruatur cum ecclesiastici ordinis dedecore. Si vero, obtenta prius a Nobis scripta licentia, Pastor certam pecuniæ summam in custodiam acceperit, singulis annis, in relatione Nobis facienda, referantur nomina eorum qui pecuniam deposuerunt, summa depositorum et usuræ solvendæ" (*Syn. Diœc. Novar. l. c.*)

IV. "Si contigerit aliquem Pastorem, vel imperitia rerum gerendarum, vel incuria, ære alieno ecclesiam nimis gravare, vel debitis haud satisfacere, satis gravem habebimus causam eum a munere amovendi" (*Syn. Balt.* 1875, *n.* ix.)

V. "Decernimus ut quilibet Pastor, qui unius vel plurium, ut quandoque accidit, congregationum vel missionum curam sibi a Nobis commissam habet, octingenta scutata per annum titulo salarii recipiat ; ejus vero Coadjutores accipiant singuli sexcenta. Eleemosynæ, quas fideles occasione administrationis Baptismi et Matrimonii

sponte offerunt, omnes cedant Pastori, cui soli committitur earum administratio, quique illis ipsis domus expensas ferre et Adjutoribus suis congruam sustentationem suppeditare tenetur. Si oblationes illæ ampliores sint expensis, quod superest æque inter Pastorem ejusque Adjutores dividatur. Si vero expensis ferendis non sufficiant, quod deest supplendum erit æque ex salario tam Pastoris quam Adjutorum, at ex ecclesiæ ærario omnino non sumatur. Districte autem prohibemus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatæ, ne ullus Nostræ Diœcesis Sacerdos collectas pro seipso, sive in ecclesia sive in populo, faciat. Si cui ad supplendum salarii defectum concesserimus talem collectam instituere, quod suppleto defectu supererit, in ærario ecclesiæ reponatur.

VI. "Si quis Sacerdos curam animarum habens propter infirmam valetudinem parochiam ad tempus relinquere debeat, dimidiam sui salarii partem toto tempore, quo abest, sumere poterit. Si vero recreationis vel peregrinandi causa absit, nihil accipiat. Sacerdos vero, qui ejusmodi Pastoris locum tenet, idem ac Adjutores salarium sibi retinebit ac æquam partem subsidiorum, si quæ sint, pro Sacramentorum administratione.

VII. "Volumus ut nullo in casu, sine scripta Nostra licentia, salarium sive Pastoris sive Adjutorum, dum quotannis non solvitur, in cumulum crescat atque inter debita ecclesiæ recenseatur. Singulis proinde annis accipiatur juxta normam supra allatam ; alioquin censebitur Pastor vel Coadjutor respective juri suo renuntiasse pecuniamque sibi debitam ecclesiæ dono dedisse.

VIII. "Ad evitanda mala, quæ sæpius ex debitorum prorogata solutione eorumque accumulatione proveniunt, statuimus ut scholæ magistris, sive viris sive feminis, sæ-

cularibus vel regularibus, singulis mensibus, vel saltem tertio quoque mense, salarii pensio, in illud tempus cadens, solvatur " (*Stat. Diœc. Novar. l. c.*)

IX. Nullus hujus Diœcesis Presbyter retinebit, nomine ac jure proprio, sive ecclesiam, sive ædem, sive bona quævis alia quæ fideles, vel ex toto vel ex parte in religionis subsidium vel ecclesiasticos usus, minime tamen personæ ipsi Sacerdotis, elargiti sunt ; sed in ipsum Ordinarium, aut in Societatem ab eodem probatam et sancitam, transferri debet jus omne bonorum quæcumque vel in præsenti possidentur, vel in posterum ab ecclesiis habebuntur. Ex decreto siquidem S. C. de Prop. Fide tenentur Episcopi ita consulere bonorum prædictorum securitati, ut in alienos usus, cum e vivis excesserint, converti nullatenus possint.

X. Singuli etiam ecclesiarum Pastores, præter Baptizatorum, Confirmatorum, et Defunctorum libros, qui juxta Ritualis monitum habendi sunt in ecclesiis in quibus ministratur Baptismus, confertur chrisma, et defuncti sepeliuntur, alium librum sibi comparabunt, inventorium scilicet, in quo accurate describantur bona omnia, tum realia, tum mobilia, quæcumque ab ecclesiis suis possidentur et administrantur. Inventorium porro hunc librum iterum atque iterum revisere, ac si opus erit, instaurare Pastor nemo negligat. Ex vasis aut sacris indumentis, si quæ Sacerdotis propriæ sunt, distincta illa ab ecclesiæ bonis recenseantur. Compendium insuper suppeditet liber iste, qui Episcopo, tempore suæ visitationis, erit exhibendus, generis cujuscumque sive redituum sive impensarum anni proxime elapsi ; quinimo Summarium enarret oportet originis et rerum quæ ad ecclesiæ ipsius historiam præcipue spectant, quo videlicet tempore et auctore incœpta, qua forma et loco exstructa, cui Patrono quove

sub titulo dicata, vel si quid aliud quodcumque relatu dignum existimetur, volumus ut id notare et consignare Pastorem non pigeat.

XI. Cum porro gravissima mala et scandala facile orirentur si apud laicos, recto quamvis animo sint, facultas ulla esset eligendi ac instituendi eos qui munus quodvis obire solent, quod sive ad publicum religionis cultum, sive ad primam juventutis institutionem in disciplina Christiana pertineat, haud amplius licebit æditorum societati ulli, aut laicis quibusvis aliis, designare, retinere, vel amandare quempiam munus hujusmodi ambientem, quin id expresse Pastor ipse sanxerit. Cum insuper loca, sacris usibus simul mancipata, sancte habenda sint, nec usibus illis tradenda qui vel palam profani sunt, vel profanum morem sapiunt, nulla exinde æditorum societas, nec laici quicumque alii permittantur, sive in ecclesia, sive in subterraneo sacello, sive in loco quovis iisdem illis religiose annecti solito, conventum agere, imo nec indicere, nisi id vicibus singulis approbaverit Pastor, qui de negata vel concessa venia rationem Episcopo reddere tenetur.

XII. Monitis porro Concilii Plen. Baltim. II. obsequentes, omnino prohibemus ne pecunia ad fores ecclesiæ exigatur ut ecclesiam intrare divinisque mysteriis adstare fidelis quisque possit. Consuetudini hujusmodi, sicubi existat, volumus ut finis continuo ponatur.

XIII. Cum ecclesiæ, scholæ, nosocomia, orphanotrophia vel aliæ societates ecclesiis attinentes nonnunquam adeo rebus angustis perstringantur, ut ad ærarium supplendum, non raro media extraordinaria capere cogantur. Inde populi concursus atque convocationes ad aulas vel ad hortos publicos sæpissime fiunt. Quapropter ad præcavenda plurima incommoda atque mala aliter oritura,

omnino prohibemus ne ecclesiæ ullæ, vel societates cum illis quocumque modo conjunctæ, festivitates quæ vulgo dicuntur *Fairs*, *Picnics*, *Soirées*, vel his similia apparare, multo minus instituere audeant, nisi Nostram licentiam, pro singulis vicibus, obtinuerint.

XIV. Choreis quæ passim hodie Germanicæ dicuntur, et quæ a binis, viro scilicet et muliere, manibus vel corporibus mutuo apprehensis orbiculatim duci solent et vulgo *Round Dances* nominantur, condemnationis notam mordicus hucusque inussimus. Si quam hac in re laxitatem anteacto tempore admiserint Sacerdotes, sciant in posterum hujusmodi choreas nullo pacto permitti licere. Sedulo ergo invigilent Sacerdotes ne in festivitatibus ab ipsis vel a societatibus sub ipsorum potestate constitutis, dandis, supradictæ choreæ vel similia quæ in dedecus religionis cederent permittant. " Et sciant confessarii se suo muneri non satisfacere si ullo modo aut sub ullo prætextu eas permittant aut excusent" (*Con. Plent. Hib. l. c.*)

Omnes quotquot sint supradictæ festivitates omnino prohibentur diebus Dominicis; de præcepto festivis; necnon et esurialibus. Caveant insuper Sacerdotes ne festivitates in hortis unquam protrahantur ad noctem, et ne aliæ uti sunt *Soirées*, *Fairs*, etc., desinant in choreas.

XV. Quoad divagationes illas nauticas quæ *Excursions* dici solent, cum et animabus corporibusque æque periculosæ sint, eas de medio tollendas prorsus esse volumus. Quare illas omnino prohibemus, et nullo pacto vel aperte vel dissimulate haberi licere in posterum declaramus.

XVI. Exercitationes musicæ seu symphoniæ quæ vulgo *Concerts* vocantur, Domum Dei dedecent, proindeque in ecclesiis Deo dicatis vel benedictis nunquam habeantur.

XVII. Pastoribus denique sedulo curandum est ut non tantum relationes quæ statum animarum in suis parœciis, seu districtibus, explicent, sed quæ etiam fideliter annotent ecclesiæ reditus, impensas, etc., Nobis quotannis transmittantur.

CAPUT QUARTUM.

DE SOCIETATE MUTUI SUBSIDII.

Ne sua desint unquam Sacerdotibus, labore vel senio fractis aut longiori ægritudine languentibus, necessaria subsidia, sæcularem e Diœcesi nostra clerum magnopere adhortamur ut mutuam inter se societatem ineant atque adeo constituant, quæ auxilio invicem opportuno, quoties necessitudo urgebit, fideliter ac pie provideat.

CAPUT QUINTUM.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

Ne Sacerdotibus unquam a mente excidat rerum divinarum scientia, neque ab ullo parvi æstimetur sacrarum disciplinarum studium, statuimus Collationes de morum præsertim Theologia esse habendas, locis ac temporibus a Nobis mature assignandis.

DE SALUTE ANIMARUM PROMOVENDA.

CAPUT PRIMUM.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Apostolis dilectis Christi discipulis dictum est, *Vos estis sal terræ ; quod si sal evanuerit, in quo salietur ? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Omnes igitur in partem apostolici sui muneris vocatos monet Christus universam hominum infatuatam esse naturam et peccatorum vi corruptam : quos autem elegit ut irent et fructum afferrent esse rerum cœlestium prædicatores et æternitatis veluti satores, immortalitatem omnibus corporibus quibus eorum sermo aspersus fuerit conferentes.

I. Meminerint igitur Sacerdotes omnes vocationis suæ ; officii sui ne obliviscantur. Caveant et ipsi inprimis ne infatuati nihil saliant ; ne, sensu accepti saporis amisso, vivificare corrupta non possint, et projecti, ut ait Hilarius, de Ecclesiæ promptuariis, cum his quos salierint sub pedibus incedentum proterantur. Clericos enim oportet ita vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præ se ferant. Levia etiam delicta, monente Tridentino, quæ in ipsis maxima forent, effugiant ; quidquid in vestitu vanos sæculi mores redolet studiose devitent ; quidquid in sermone scurriliter aut procaciter, quidquid minus reverenter ac pudenter, quidquid caritati et sanctitatis omnis perfectioni contrarium diceretur, omnino abhorreant. Si quid enim in agendo vel loquendo minus compositum illis elabatur, non ipsorum modo animam maculare, sed ne-

cessariam apud alios auctoritatem imminuere, quin etiam omnem elevare, id pronum est.

II. Cum vero præclarissimum Ecclesiæ decus atque ornamentum in castis integerrimisque Sacerdotum moribus collocentur, pro virili omnibus allaborandum est ne, quod absit, dedecore ullo spectatissimus hic candor contaminetur, cavendum constanter et ubique ne leviori specie mala obscuretur hic splendor.

Quod ad clericorum domesticam vitam attinet, volumus ipsos esse memores Ecclesiæ canonum de feminis quibus domus ac rei familiaris cura committitur sæpe sæpius tractantium.

Meminerint inprimis illos omnino jubere, ubi vel sola propinquior cognatio non suppetit ad omnem labis suspicionem arcendam, eas hujusmodi esse habendas quarum ætas maturior, vita moribus illibata et fama integerrima nullum imperitorum suspicioni et malevolentium detractioni relinquant aditum. Neque est cur sacris canonibus quidquam subjiciamus, nisi, quod omnibus jam compertum est, muneris nostri partem haud minimam in eo esse, ut illorum observantiæ sollicite invigilemus, immemores et incuriosos arguamus et obsecremus, notatos autem reos et transgressores, quantumvis id refugiat animus et præsagire reformidet, opportunis et amarioribus sanemus atque coerceamus remediis.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRIMA COMMUNIONE PUERORUM.

Quia munus præparandi juvenes utriusque sexus ad primam communionem rite et fructuose suscipiendam

Pastoribus animarum curam habentibus maxime incumbit, operam illi suam omnem impendant ut pueri et puellæ in doctrina Christiana assidue instruantur, ad Sacramentum Pœnitentiæ sæpe alliciantur, nec nisi bene parati et pie dispositi ad sacram Domini mensam accedant.

CAPUT TERTIUM.

DE SACRIS MISSIONIBUS.

Experientia siquidem comperiatur saluberrimos ex Sacris Missionibus fructus provenire, Pastoribus maxime commendamus ut, semel saltem intra tres quatuorve annos, Exercitiorum Spiritualium illorum beneficia suis ovibus procurent.

CAPUT QUARTUM.

DE SOCIETATIBUS SECRETIS.

Comperimus haud paucos ab Ecclesiæ Catholicæ gremio abductos nomen dare societatibus illicitis ac periculo plenis, quæ, dum apparens ac modicum temporale commodum aliquod prætexunt, socios Ecclesiasticis Censuris obnoxios captare, atque a præstantissima, qua Ecclesiæ et Christi membra potiuntur, jurium et auxiliorum con-

sortione segregare deprehenduntur. Ut fideles imperitos præmoneamus, et ad saniora, quos jam deliquisse dolendum est, consilio forte revocemus, declaramus neminem eorum qui jurejurando, aut alia simili quavis ratione, damnatæ cuilibet societati se obstrinxerit, ad Ecclesiæ Sacramenta aut Christianam sepulturam esse admittendum, si vinculum illud abrumpere renuerit. Confessarii autem munus est, si quem e pœnitentibus laqueo tali verisimiliter irretitum existimaverit, illum interrogare, atque si reum invenerit, ad præsentis statuti declarationem se conformare.